

reperiantur, hæc pauca hîc adnotare placuit, quæ vel nunquam aliis, quòd sciamus, vel rariùs oblata sunt. *Primo* cum inaudivissemus ingeniosissimum *Dn. Hookium* in Anglia virtutem magnetis quam vocant attractivam, assuefactione quadam & exercitio crebro multum adauxisse, tentaturi simile quippiam, ex medio regulæ ferreæ utriusque pedunculo magnetis armati decenter applicatæ suspendimus vasculum plumbeum tanti ponderis, quantum hac prima vice sustinere magnes valebat, circumcidendo scilicet illius labra tamdiu, donec ei ferendo sufficeret lapidis efficacia semilibrali oneri par quamproximè. Deinceps verò diebus singulis imò sæpius etiam eodem die in vasculum dictum leniter demisimus frustilla quædam plumbea, idque per dies plusculos cum feliciter continuavissemus, addendo semper aliquid ponderis donec succumbens magnes aut deficiens onus suum dimitteret; hoc ab integra libra tantulum abesse, adeoque virtutem trahendi sive sustentandi in ipso ferè duplicatam experti sumus.

Phæn. I.

II. Et cum in ea simus cum plurimis Viris doctissimis sententia, hanc ferri magnetisque coitionem & cohæsiõnem non tam ex vera tractiõne aliqua, quàm expulsiõne quadam & compressiõne aëris ambientis dependere, tum sc. cum intermedius aër, (qui aliàs tantundem illa duo corpora disjungere elatere suo nititur quantum exterior eadem eodem suo nisu comprimere) per ultrò citroque commeantia effluvia magnetica expulsus ac debilitatus esset; ut hypotheseos hujus veritatem experimento quodam oculari collustraremus, in medio tubi vitrei amplioris (Vid. Fig. 45. num. 1.) quem diu terendo super latere cocto spissiore ibi perforaveramus, canalem cupreum breviusculum C decenter adferuminavimus, ejus amplitudinis ut epistomium recipientis nostri commodè caperet: deinde utriusque orificio tubi A & B indidimus cylindrulos ligneos tres circiter pollices longos ac tubi cavitatem ita explentes, ut liberè tamen ac facile
intra